Omnium Febrium cauſa latet in ſanguine.

QUid tandem Archiatri ſpondent oracla Phœbi?
Ars ſua languet iners, unâ cum peſte tot annos
Bella gerens, nequeat Febrilem excindere gentem.
Dum Natura ſuas humori aperire lacunas
Perget, quas rutili latices, quas lacteus imber
Complent; pérque illos dum nutrimenta canales
Diſtribuens, reparante Chylo diſpendia ſanguis
Lambens nativos remeanti flumine Venas,
Circuit humanum repetitis curſibus orbem.
Dum cæca ambitio, & dominandi inſana cupido
Sanguinis exagitat partes; civilibus armis
Cruda rebellabunt maſſæ dum ſemina; ſanguis
Dum fermenteſcit, propriiſque ebullit in antris
Efferus, humano Febris non exulat orbe:
Sanguis alit, torrétque idem præcordia ſanguis.
Hinc prodit magnâ Furiarum ſepta catervâ
Febris, & immenſo diffundit germina partu,
Ambiguum variis prævertens Protea formis.
Sanguis enim, à propriâ deſciſcens indole, ſumptâ
Auſterâ, nimio pepſin pervertit acore
Nutritii ſucci: ſimulac turgeſcere cæpit,
Cruda fluit reliquo nondum aſſimilata liquori
Pars laticis, motúmque ciet, cæcúmque tumultum
Spiritus intùs agit, moliſque ſuíque ruinam
Nixus, victricem nativa in viſcera flammam
Convertit; molitur enim (mirabile dictu)
Nativum occultâ tectum torrere favillâ,
Haud interruptos nunquam reparando calores
Continuo accenſas nutrire bitumine flammas.
Sed ſuperans Nitrum teneris ſua ſpicula nervis
Infigit, torpétque gelu conſtricta medulla:
Hinc rigor, hinc gelidus coit in præcordia ſanguis,
Genva quatit, ſpaſmos ciet, irritâtque tremores.
Unica ſic multas morboſa Tragœdia ſcenas
Exhibet; & variâ ludit larvata figurâ
Uſque inteſtinos agitans in ſanguine motus
Febris, Phœnomeníſque ſuis, Phaſibúſque malignis
Stultitiam Medico viſa eſt portendere mundo:
Nam dum, Febrilis quo ſub Duce militat ignis,
Diſceptant, docto promunt deliria mundo.

ERGO

Non Succi, Charltone, tui, non utraque Bilis,
Non Pituita tenax illi vernacula morbo
Materia: immenſum rubri maris æquor arandum,
Ut veræ pateant cauſæ, quæ mille peruſtis
Ignibus inſtaurant vires, quæ pabula, vel quæ
Arida venturæ præmittunt pignora flammæ.

Charltoniana Hypotheſis *de Sanguinis ad partium nutritionem Ineptitudine eſt rationi diſſentanea.*

SAtque ſupérq; datum eſt *Erroribus*, uſq; vagari
Pérq; gyros, *Charltone*, tuos, per cæca viarum;
Heu! miſerè abduci ſpernit fœlicior Ætas.
Novimus abſtruſos, Te non famulante, receſſus
Naturæ, vegetas quáque elicit undique *Vires.*
Novimus & varios ductus, varióſque meandros,
Quêis Sanguis generoſa ſuis alimenta miniſtrat
Partibus, & totum reficit vitalibus undis.
Undique luxuriat *Sanguis*, ſcatet undique ſuccus
Nectaris, & corpus divinâ aſpergine tingit:
Nobilis inde bibit *Vena*, nervus & inde rigatur,
Indéque *Clavigeri* quod fecerit *Herculis* artús.
Nullum munus obit corpus, nî vivida *Virtus*
Sanguinis inſervit, ſi non eſt maximus *Author*;
Fruſtrà ſudatum: fruſtrà ſulcavimus *Omnes*
Purpureum hoc pelagus; Melior dum *Drakeus Ille*
Harvæus paritèr noſtrum circa *Microcoſmum*
Navigat, atque ſinus ſcrutatur, & æquoris orbes.
Ille tulit partes quî omnes inviſit eundo
Sanguis, quî partes gratæ tranſmittere fonti
Gaudent; & mutuo penſatur munere munus.
Spiritus hinc ſaliunt, turma officioſa, miniſtri,
Divino & flatu ſpirant vitâmque vigorémque;
Nec quicquid ſapiet (*Chartono* obſtante) cerebrum;
Nî (quaſi Caſtaliâ) priùs hâc tingatur in undâ.
Inde Roſas petis, alma *Venus*, petis inde, *Corinna*
Oris Virgineum decus, &, quo carpimur, ignem.
Ipſa vel Invidia, heu! macreſcens rebus opimis
Pulchrior ore nitet, diſtentáque ſanguine gaudet
Si minus officium præſtat, ſi ſubtrahat almos
Virtutum influxus, facies, quaſi territa, pallet,
Lethifer & toto graſſatur corpore *Morbus.*

Jul. 5. 1681. *In die Comit.* Reſp. pro gradu M. B. *Guliel. Hill*, Coll. D. Joan.